

tio & apertura, extensio vel quantitas proprie loquendo dici non potest; ac proinde, abstractione facta ab omni extensionis consideratione, angulum alterius duplum dicere non possumus, cum id dici possit duntaxat de quantitate comparata cum alia quantitate homogenea. Quia vero mera linearum apertura partes non habet, angulus non est quantitas proprie dicta, atque hinc factum est ut anguli mensuram cum circuli arcu comparaverint Geometrae. Circulus dividi solet in partes aequales 360, quae *gradus* dicuntur; singuli gradus dividuntur in 60 minuta prima, quodlibet minutum primum dividimus in 60 secunda, & sic in infinitum. Gradus per o designari solent, minuta autem per lineolas numeris superimpositas. Ita si forte occurrant 35°, 25' 36" 42"', lege 35 gradus, 25 minuta prima, 36 secunda, 42 tertia.

IV. Ex angulorum notione pendet linearum mutua positio. Linea dicitur alteri lineae *perpendicularis*, quando in ipsam incidens facit angulos hinc & inde aequales, angulus hujusmodi dicitur *rectus*. At si recta una super alteram cadens duos angulos efficiat ita ut unus sit recto major, alter autem minor, primus dicitur *obtusus*, alius autem *acutus*. Si talis sit rectorum positio ut eandem semper a se invicem servant distantiam; evidens est nullam esse linearum illarum mutuam inclinationem, ac proinde in infinitum etiam protractae non concurrent seu angulum non efficiunt; tales lineae dicuntur *parallelae*.

V. Ex lineae rectae definitione evidens est, duas